Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36490
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

cepta. immortali sponso perenniter adherebis. Ego sum mychahel archangelus testamenti dei. missus a deo hec tibi euangelizare. His itaque dictis. continuo discessit ab ea. Ob hanc uocem christi uirgo in agonya roborata. exspectabat quo ad mortem inuitaretur ad laborem certaminis.

Sedens itaque pro tribunali imperator: memoratos oratores adesse iubet. puellam deinde ad pretorium iubens adduci. Illa quidem triumphale signum crucis imprimens fronti. imperterrita uadit ad palatium. Fit itaque ex ciuitate omnium concursus. ad audiendas controuersias disputantium. Stant ex aduerso oratores pomposo eloquentie fastu. stat puella fidens in domino. Stomachatur tyrannus. quod diem ingrato consumit silentio. Cui puella. Tu inquit imperator pugnam hanc [non] equo iudicio preordinasti. contra unam uidelicet puellam. quinquaginta oratores opponens. quos regiis muneribus in premium uictorie donandos promittis. me autem nullum donatiuum exspectare iubes. Ego autem quodcumque sit. huius certaminis premio diu fraudari non timeo. Erit enim ipse mihi premium. in cuius nomine campum istum aggredior pugnatura. scilicet christus dominus. qui est spes et corona certantium. Unum autem quero. quod michi iure negare non potes. ut si mihi sors uictoriam contulerit. dominum meum uel tu adorare non differas. Indignatus ad hec tyrannus non est tuum inquit nobis condicionem imponere. sed age quod agis. nobis instat uidere si deus tuus tibi annuerit. Sub hec autem puella ad oratores conuersa dixit. Postquam primum incitati huc ad disputandum conuenistis se mores. et hic confluentem turbam ad audiendum spec